
4

PROGRAMMA
QVO
RECTOR
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS
JOHANNES ERNESTUS SCHAPER
Med. D. & Prof. Ducal. P. ſuæqve Faculta-
tis DECANUS
IN IPSA
PENTECOSTE
DE
VERA DEI AGNITIONE
ut gratulentur ſibi omnes, qvi ad eandem
pervenerunt, vitamqve etiam agant
illa dignam,
ea qvâ fas eſt humanitate monet &
ſollicitat,



ROSTOCHII,
Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.

Affulsit iterum lux illa tantæ bonitatis, tám mirabilis gratiæ, qva, ut memoria rei ad omnes posteros transmittatur, non sine admiratione hominum, visibili quâdam specie ignis acceperunt SPIRITUM SANCTUM Apostoli. Reparata jam erat gratia omnis in salutem hominum ipsius Filii DEI sanguine, postqvam ad dextram DEI ut sederet, ipse cœlum adscenderat. Communicabatur ergò ille SPIRITUS hominibus, qvi *Patri* pariter & *Filio* ab æterno est communis, ut reducerentur sic ad communionem unius DEI, qvi Trinus est in personis. Eqvidem ab initiô mundi etiam post lapsum, datus est SPIRITUS SANCTUS piis ánimabus & fidelibus, ea tamen gloria, qvæ Apostolos circumfulsit, tamqve visibilis donandi modus & mirabilis omninò, nulli antea hominum contigisse unqvam legitur. Salvator scilicet, qvi lux mundi est, hisce demum temporibus partes suas omnes redemtionis nostræ expleverat, sedens jam ad dexteram magnificentiæ in altissimis. Viderant ipsum Patres jam statim post factam iterum mundo gratiam, sed in prædictionibus adhuc, sed in figuris, sed in variis sacrificiis. Apostoli verò qvemadmodum ipsum gloriæ Dominum suis ipsi oculis conspicati erant, propiùs sic accedentes ad lucem illam salutis tàm desiderabilem, ita illis etiam idem accidit, qvod in sole stantibus meridiano: qvippe qvi illustrius virtutem circa se se radiorum sentiunt. Major ergò gloria majusq; lumen Apostolis collatum est & circumfusum, qvàm Prophetis sive ante sive in N. T. viventibus. Neqve illud tanqvam abditum lumen in solo pectore continebatur, sed latius hoc diffusum ita linguas occupabat, ut velut ignis in modum divisione factâ, eloqvia DEI qvàm liberrimè enunciarentur, inque auditorum animos divinâ prorsus virtute influerent. Sic de luce in lucem transeuntes Apostoli ita facem fidei prætulerunt aliis, ut ipsorum qvoq; animis lumen accenderetur magis coruscum, quàm pristinis temporibus. Inde dum major lucis copia hominibus N. T. est facta, Apostolorum scriptis eorumque institutione, prædicandi etiam DEUM aliosqve informandi major data est facultas mortalibus, eaque liberior, quàm qvidem in V. T. Soli tunc Levitico generi, qvod ad publica qvidem sacra spectat, illa gloria competebat, quæ tamen latius jam patet, non ita uni familiæ ex voluntate DEI propria pariter & adstricta: Sed ex omni genere virorum, qvi ad docendum apti sunt, juxta & ritè vocati, illô jam munere laudabiliter fungi possunt; Imò qvi Medicinam profi-

tentur



tentur, dum sunt è Christianorum grege docti, rerumq; sacrarum periti, id etiam sibi sumere possunt, ut, qvantum fas est, sua ad gloriam DEI dona conferant in informatione hominum ad salutem. Qvare eò confidentius etiam ego ceu Medicus id jam operæ dabo, ut hoc scribendi genere, si non omnes, aliquos tamen ad gloriam DEI mecum suscitem, inque luce illâ, cujus semel participes facti sunt, aliquâ ex parte confirmem. Et annon omnia in Pentecoste illâ tàm miraculosè ideò facta sunt, ut homines tantâ Apostolorum luce aut circumfusi aut stupefacti, eó faciliusse paterentur ad agnitionem DEI adduci? Hoc utique DEI consilium tantæ rei subesse quàm persvasissimi esse debemus. In eò enim ponitur unicè omnis vita nostra, salus omnisqve perfectio, ut verè DEUM agnoscamus, sicut se ipse in verbo manifestavit. Eò etiam DEUS omnem ipse operam confert, eò respicit in omnibus, ut, dum gratiam nobis ab æterno iterum decrevit in sanguine Filii sui, resurgamus etiam ad talem DEI notitiam, qvæ juxta scripturam vera & salutaris est, qvaq; ipsi per fidem conjungimur ad omnem gratiæ largitionem. Fulgebant ergo nunc Apostoli ipsâ luce SPIRITUS SANCTI gloriosissima, virtuteq; ejus erant animati ad omnem παῤῥησίαν i.e. fiduciam loqvendi de gloriâ DEI. Neqve enim mente abalienati erant, sicut gentilium vates accepimus in suis oraculis, neque in excessu quôdam mentis sive ecstasi constituti, velut ipsi ignorantes, in corpore an extra illud versarentur, aut visionem aliqvam passi, sed mente præsentissimâ sibi verba coram populô fidei faciebant, ceu Evangelii præcones illustres jam & ab ipsô DEO in terram emissi. Ita verò qvomodo ignorare poterant SPIRITUS SANCTI sive vim per se subsistendi sive Divinam gloriam? Anne cujus templum erant, ut in ipsis operaretur & distribueret dona sua sicut vellet 1. Cor. XII. v. 11, annon qvi peculiari prorsus modô, eôqve distinctô ab aliis personis apparuit Luc. III. v. 22, qviqve alius consolator audit Joh. 14. v. 16, isque cum mutatô genere talis Joh. 16. v. 13. annon inqvàm alium de eô sensum, qvàm qvem persona habet, sibi concipere aut persuadere poterant? Tanta simplicitate eâqve verborum gravitate hæc de SPIRITU SANCTO dicuntur, ut cœcus esset, qvi non ipsum inde personam esse agnosceret. Et qvi talis est, ut secundum excellentiam appelletur ipse Dominus, non dependens ab aliô 2. Cor. 3. v. 17. ipse DEUS, in qvem gravissimè mendaciô peccatur Act. 5. v. 3. sq, qviqve

profunda

profunda DEI qværis, qvæ infinitæ sunt magnitudinis, perspecta prorsus habet 1. Cor. 2. v. 10. annon eundem Apostol. creaturis annumerare potuerunt? Tantum abest, ut qui vel parum intelligendi virtute valet, divinam SPIRITUS SANCTI Majestatem in dubium vocare possit, ut eadem potius modis omnibus apud animum confirmetur, dum qvæ adducta sunt, de SPIRITU SANCTO qvàm manifestissimè dicuntur. Imò dum ipsum SPIRITUM SANCTUM vocant Apostoli nomine & Patri & Filiò comuni, qvid aliud significatũ eunt, qvàm eandẽ & æqvalẽ ipsius omninò naturã & virtutem, ut pote in qvô tanqvã terminô comunicatio essentiæ Divinæ subsistit, ne in plures emanet, acqviescentibus jã in ipsô tanqvam suô SPIRITU & Patre & Filiô unicè. Et jucundum est cogitare, illum SPIRITUM nobis dari, qvi in DEO ipsô est, à qvô procedit, sicut spiritus hominis in homine 1. Cor. 2. v. 11., ut nimirum in Divinis testem habeamus certissimum, omni πληροφορίᾳ gratiæ Divinæ incumbentes. SPIRITUM ergò habuerunt Apostoli, qvi *Christi* est Rom. 8. v. 9., dum CHRISTI erant, inqve ejus gloriam & voce & scriptis omnia dirigebant, non audentes aliqvid proferre, nisi qvod CHRISTUS per ipsos operatus esset Rom. 15. v. 18. viventes sic in fide, qvæ est in JESUM CHRISTUM Gal. 2. v. 20. Qvæ omnia ita clarè in Apostolis etiam arguunt talem CHRISTI agnitionem fuisse, qvâ ipsum ceu fontem atqve Autorem vitæ salutisq; nostræ amplexi sunt & secuti. Non ipsũ ceu nudum hominem adorarunt, sed talem, qvi gloria Divina refulgeret Joh. 17. v. 5. Non venerati ipsum sunt ceu proximum â DEO, sed talem, qvi simul esset verus DEUS in altissimis Rom. 9. v. 5. DEIqve æternus Filius: Non vitam in ipsô agnoverunt, qvalis creaturæ est, sed æternam, ut ipse etiam esset vita æterna 1. Joh. 5. v. 20. Et dum Filius in Patre est, & Pater in Filio, ut qvi Filium videt, ipsum etiam Patrem videat Joh. 14. v. 9, palàm est, ipsos etiam in Patris gratia vixisse tanqvam verè gnaros, qvæ esset gloria DEI Patris & voluntas circa salutem nostram. Adeò ex verâ DEI agnitione juxta promissionem CHRISTI ea in Apostolos gloria defluxit, ut in publicam sint lucem non sine miraculô qvodam protracti! Adeò qvoqve omnia eò concurrunt, ut per Apostolos, Evangelii luce per universam terram dispersâ, ex ignorantiæ tenebris ad DEUM sic redirent homines! Jta demum hoc festum gloriosum est, inqve luce versari debet, ut ad DEI imaginem magis magisqve reviviscamus in sanctitate veritatis, agnoscentes SPIRITUM SANCTUM non sine Patre & Filio, neq;

Patrem

Patrem & Filium sine SPIRITU SANCTO. Hæc fides nostra est fundamentum illud immotum & necessarium, cui salutis nostræ universa structura qvàm tutissimè inniti debet. Extra illud qvi DEUM qværunt & salutem suam, in qvævis præcipitia abripiuntur, sine DEO, sine testamentis promissionum in mundo oberrantes, ne spe qvidem vitæ amplius ipsis relictâ. Itaqve in eô ut fides nostra radices agat, tota semper mente in hanc curam incumbere oportet. Nihil enim magis adversariorum telis velut expositum est, nihil freqventius lacessitur, nihil hostibus tàm invisum tamqve noxium! Illibatâ namqve hâc fide nostrâ, ut verê in eam recumbamus, nullus rei adversæ impetus tàm violentus tàmqve formidabilis esse potest, qvem non sustinere liceat, pugnante pro nobis ipso DEO. Et cum mysterium hoc S S. Trinitatis rationi prorsus absconditum sit, ne vestigiis qvidem ullis post lapsum nobis remanentibus, qvibus sensum ejus qvodammodo assequi daretur, revelari nobis utiqve illud ab ipso DEO debuit, ut sicut solem solius solis beneficio intuemur, DEUM etiam nostrum contemplemur ex lumine verbi sui. Atqve tam clarê, tâm luculenter & perspicue mysterium hoc in Ecclesia ex verbo DEI semper fuit propositum, ut qvi negaverit aut ignoraverit, prorsus alienus fuisse ab omni fide, & Ecclesiæ societate indignus qvâm rectissimè censeatur. Neqve enim mysterium adeo amplius est, quod non possit jam cognosci, dum scriptura patefecit, aut rationi omni adversum, ut eam planê subvertat, sed sapientia est fidelium summa & perfectissima & absolutè necessaria. Differunt utiqve personæ Sacrosanctæ inter sese, ut revera alia atqve alia sit, non tamen DEUM inde statim alium atqve alium admittere necesse est. Anne gutta est liqvor in globulum compactus? Annè veró tres guttas etiam tres liqvores sive aqvas statim appellare fas est, ut alius atqve alius inde liqvor enascatur? Et annon illas potius tres globulos liqvoris sive aqvæ esse dicimus? Aut ut propius κατ' ἄνθρωπον ad rem accedam, anne corpus solare & radius solis, qvæ distincta sanè sunt, duo soles etiam dicuntur, licet ambo solis appellatione gaudeant? Imò ramum crassiorem, eumqve proximè à terrà exsurgentem, dum omnem arboris naturam in se complectitur, verè etiam arborem præter stemma vocamus: annon verò hæc duo arbores etiam duas nominare aut natura fert, aut consvetudo, qvæ est dicendi magistra? Si jam in humanis sive terrenis licet diversa sint, qvæ definiuntur, non tamen semper ipsa res, qvæ illis æqvaliter communis est, multiplicatur, neqve ejusdem appellatio, qvid qvæso causæ est, cur in Divinis Personis

mul-

multiplicationẽ essentiæ effingamus, reclamante ipsa scriptura? Aut cur tantam hîc intelligendi difficultatem objicimus, cum tam plane & significanter rem omnem scriptura proponat, & exempla etiam inveniantur in naturâ, ubi in unâ eâdemqve re plura tamen, qvæ distincta sunt, subsistunt. Non à ratione hîc auxilium peto, rationi tamen corruptæ, qvæ semper contra fidem tumultuari studet, sua qvæ habet, infringere aut subducere conor, ne in tanto rationis abusu sibi ipsis tam securè placeant adversarii, aut peccatũ, qvod nobis inest, ad omnes fraudes incredulitatis magis ingeniosum pariter & molestum esse judicetur. Neqve est, ut ex Personis Divinis aliqvam compositionem in DEO metuas, cum sint ita unum simplicissimum, ut sint etiam in sese invicẽ Joh. XIV. v. 10. 1 Cor. 2. v. 11., non altera ad alterã tantum, & qvælibet sit ipsa tota essentia Divina. Et qvid? Annon qvantitas & figura dum in eodem corpore distingvuntur, etiam per se compositionem partium reverâ gignunt? Annon potius altera ex altera resultat, cum tamen qvæ rem componunt partes, ad se mutuò accedant? Et dum qvantitas & figura intelliguntur re ipsa simul esse, licet qvantitas prior concipiatur, qvomodò altera alteram potest perficere ut actus potentiam? Qvantò minus tale, qvod sive compositionem sive varietatem aliqvam perfectionis inferre potest, de natura Personisqve Divinis cogitare licebit? Et sit in rebus creatis una modò substantia in uno, per qvod subsistit, & à qvo appellationem sui accepit, ut communi rerum ordine non animadvertatur aliis etiam communis esse! Non tamen præjudicium inde aliqvod fieri debet, qvod seqvamur in fide nostra de natura Divina, qvæ nihil sui extra sese habet simile, captum etiam humanum infinitis prorsus modis excedens. Et qvid dicamus de monstris gemellorum coalescentium, qvi communi corpore aluntur? Annon ibi qvoqve una substantia uni rei subsistenti ita est propria, ut alterum subsistens prorsus excludatur? Annon corpus adest, qvod commune ipsis experimur esse? Ita nos confundit experientia cum canonibus nostris, ut non habeamus, unde elabamur, & tamen cum ratiunculis istis cœlum ipsum aggredi & confundere, resqve Divinas velut examine qvodam metiri non erubescimus. Reddat modus subsistendi peculiaris, qvi in DEO Patre est, essentiam Divinam ipsi propriam, & non communem, communicat tamen eandem Pater Filio sub alio charactere Personali, dum Filius generatur, sicut sol indesinenter gignit radium suum ejusdem naturæ & ejusdem unius essentiæ. Itaqve ne sit persona communis alteri, atq; alia fiat, facit proprius subsistendi modus, ita qvidem, ut nec

essen-

essentia Patris, qva Pater est, ad Filium transeat, transit tamen tota, qva Deus est. Ita verò suâ cadit causâ ratio, ne amplius tantum interstrepere mysterium S. S. Trinitatis opus habeat, illudqve prorsus sibi adversari pronunciet, velut rationis inde usus qvodammodo inutilis reddatur. Atq; ego ceu Philosophiæ amator rerumqve naturalium, cum medicus sim, principia pervestigans, eô libentius jam ratiunculas istas, qvibus in contrarium nituntur adversarii, perseqvi volui, qvô magis infensas nobis illas esse deprehendi, subinde etiam ipsâ naturâ nostrâ, qvæ corruptionem in se patitur, eó cum scrupulis suis propendente. Qvibus jam cum nihil ponderis inesse oppidó cernatur, infirmitate ubiqve elucescente, non est, ut ejusmodi minutias vel qvicqvam moretur pius animus, sed impium potius judicet, causæqve prorsus desperatæ, contra Scripturam illas nugas agere. Gratulemur ergò nobis de tantâ luce, qvâ nos de ignorantiæ tenebris triumfare voluit Spiritus Sanctus per scripturam. Agnoscamus eâ qvâ fas est pietate immensum id beneficii genus, qvo non extra DEUM, sed ante oculos DEI versamur, verâ ipsius agnitione collustrati. Gaudeamus ex omni pectore, qvod eum Patrem nostrum in JESU CHRISTO per Spiritum Sanctum compellamus, qvi est ipse rerum omnium Dominus, in qvo vivimus, movemur & sumus Act. XVII. 28. Hujus rei magnitudinem, qvâ nostra augetur felicitas, qvis satis animo aut complecti potest, aut enunciare? DEUM qvi sincerê novit, ut veritatem etiam cum fide conjungat, in familiaritate DEI vivit, nihil sibi metuens ab incursione mali, tanqvam DEI munimentum & habitaculum. Qvàm jucundè non DEUS ipse copulat nominis sui agnitionem, qvæ fidem sibi habet comitem, cum promissione gratiæ suæ: *Protegam eum*, inqviens Ps. 91. 14, *quia novit nomen meum, invocat me, & exaudiam eum.* Annon destitutus unqvam potest sic esse verê fidelis, aut frustra Deum intelligere? Imô verô effusus est amor DEI super nos; ut sensum etiam ejus habeamus certissimum per Spiritum S, qvi datus est nobis Rom V. 5 Hoc pignore, hoc ceu sigillo confirmata & circummunita est fides nostra, ut in omnes partes quâm latissimè pateat certitudo salutis nostræ. Neq; enim pignus est Spiritus Sanctus aut sigillum otiosum & insensibile in nobis, sed vivum est & efficax ad omnes semper fidei motus excitandos & inflammandos, ut ad sensū nostrum valeat, sicut pignus & sigillum, cui fiunt, etiam ipsi in sensus incurrere debent, ut certus rei acceptæ ita reddatur. O qvantæ voluptatis est, has animo subire cogitationes! ille datur nobis pignori, qvi procedit ipse ut æternus Amor à Patre & Filio. Qvomodo nos

odio

odio possumus esse DEO? qvare nos derelictos putemus, dum in tantis deliciis DEI per fidem ipsi sumus? ille nobis sigillum est, qvi ipse velut in se obsignat & finit gloriam divinam, ne alius post ipsum possit sibi habere illam amplius communem. Qvantùm hoc solatur animam! Ecce! circumdat nos velut muro qvodam Spiritus Sanctus, & se ipsum objicit contra hostium invasiones, ne relabamur sive ad carnis nostræ sive ad mundi societatem, sed ipsius proprii maneamus, tanqvàm obsignati ad solius DEI gloriam & possessionem. Inde malis in anima fideli cogitationibus non ita facilis conceditur aditus, ut ipsis pareatur, sed lucta fit cum illis perpetua, ut supprimantur: imò qvicqvid ingreditur etiam sub bonitatis imagine, non prius admittitur, qvâm examinatum fuerit ex scriptura, an conveniat. Hanc faciem præse fert homo, hoc experitur in sese, qvi Spiritu Sancto tanqvā sigillo insignitus est. Et qvanqvā non semper fides inde in sensus nostros redundet, conturbante animū tentatione gravissima cum magnâ anxietate, adest tamen Spiritus DEI cum gemitibus suis ineffabilibus, qvibus intercedit pro nobis. Neq; pignus semper est in oculis aut manibus, sed sæpius in abdito loco: Neqve sigillum ex omni rei facie apparet, sed tantum in certâ qvadam. Hæc jam *Cives optimi* ad animum mittamus, non ita otiosè aut sine meditatione rerum sacrarum præsens salutis tempus consumturi. Præire ipse volui, facemqve velut præferre, ut qvæ esset sana religio Medici partim constaret, partim ut seqvamini vos, si qvod est exemplum pietatis, similem in rebus sacris aut operam aut cogitationem locaturi. Atqve præcipue incumbit nobis jam omnibus, ut tantâ gratiâ, qvâ nobis se DEUS aperuit, dignos etiam nos geramus per omnem vitam, illosqve fugiamus qvâm maximè, qvi emota velut mente DEUM aut aliter sibi fingunt, aut ex animo prorsus dimovent, modo ut licentia sit, libidines suas eò magis explendi, inq; diem sic securius vivendi. Nos qvi aliter edocti sumus, sensumq; DEI cùm ex natura tum Scriptura deprehendimus tâm facilem tamq; infallibilem, ad aliam mentem redeamus, collectisqve in usum nostrum sapientiæ dictis, & timorem & gloriam DEI ita præfigamus nobis, ut cujus filii simus & progenies, ex ipsa rerum nostrarum facie non difficulter intelligatur. DEUS verò *Pater gloriæ det nobis Spiritum* sapientiæ & *apertionis, ad ipsius agnitionem, oculosque mentis illuminatos, ut intelligamus, quænam sit spes vocationis divinæ, & quæ divitiæ gloriosæ hereditatis DEI in sanctis, & quàm excellens magnitudo virtutis divinæ erga nos, qui credimus* Eph. 1. 17. seqq.

P.P. Sub Sigillo Rectoratus Academiæ Rostochiensis A. CHRISTI 1699. d. 28 Maji.